Tabla delo que contiene este Tomo.





COLLATIO
HABITA
IN
COMITIIS GENERALIBVS
SACRI
ORDINIS CARTVSIENSIS
ANNO M. DC. LXXXIV.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi; uniuscuiusque ensis super femur suum. Cant. 3.

TANDEM aliquando, vertentibus seculis, hæc Dies affulsit, mihi quidem, propter delati muneris gravitatem, non parum metuenda. vobis, propter orationis nostræ exilitatem, non summopere expetenda, omnibus verò, propter tantam, tamque novam, hoc sextum seculum explentibus, celebritatem, quàm maxima, atque jucunda. Sed obstat gestienti prope lætitiæ, à loci hujus majestate, quæ amplissima, ab ipsius re-

tractandæ dignitate, quæ summa est, profectus metus, qui cum in dicendi arte versatissimum quemque possit conturbare, tum me maximè, cujus & ingenii ratio tenuis, & exigua, & verborum inopia, siccitas, & jejunitas maxima. Virum itaque res ista quærebat. Sed tanta profecto est obedientiæ vis, quam vos probè cognoscitis, ut neque subterfugere laborem, neque recusare onus, neque declinare molestiam, neque suspicionem temeritatis à me dimovere, neque impudentiæ crimen nunc devitare patiatur. Quid tibi, mi Carthusiane, cujus officium plangentis est potius, quàm pangentis cum facundiæ majestate? Oratorium tuum oratorem, non Rhetorem facit. Vbi æterna silentia tua? sedisti solitarius, ut taceres; age jam, surge, qui ad loquendum evocaris.

Tecum mihi res est, Ordinum maxime, sacrarum Religionum rediviva per secula Phœnix; tecum, solitaria æmula Solis, nemoribus assueta tuis, jam senectam in iuventute ponens, & de cineribus mortificationis tuæ amabilior renascens; tecum, inquam, immaculata Carthusia, quæ tot de manubiis fallentis seculi exornata trophæa, quot a crepundijs tuæ lactentis infantiæ usque ad ætatem perfectam, per sexcentos exactos annos lenocinantibus seculis terribilis ut castrorum acies ordinata in æternitatis templo suspendis.

Igitur, ut monumenta nostra testantur, anno Dei hominis octogesimo quarto supra millesimum ortus fuit Ordo, cui debemus nostras in Christo cunas, nostras pro Christo palmas. Tunc siquidem temporis sanctissimus Patriarcha noster, per abrupta terrarum, & montium iuga scopulos difficultatum superans, ad secretiora huius Eremi, cuius incredibili amore flagrabat, sese contulit, & in sacratiori secessu, quem pendula rupes commendat, sex comitantibus socijs, in mense sexto, circa solemnitatem Sancti Joannis Baptistæ, solitariæ vitæ facile Principis, iacta sunt fundamenta stabilitatis æternæ. Nescio, an tunc præ stupore moraverit cacumina montes, an potius præ lætitiâ exultaverunt, ut arietes, & colles, sicut agni ovium gestiere. Deus bone! quam ampla circumducentibus oculos obiicitur scena gaudiorum! â tam paruis, etsi stupendis initijs, Orco fremente, mundo insultante, seculi prudentia sese opponente, novellam plantationem, non iam unius ambitu seculi, sed per sex annorum centuriâs late diffusam, sine macula, sine ruga, ubique semper firmam, & integram persistentem cernimus: quis omnium tam potens sui, ut erumpentem lætitia vocem valeat continere!

Transiere apud Romanos Ludi, quos vocabant seculares, ob id instituti, ut initio cuiusque seculi, centesimo, nempe, anno expleto, diem vrbis conditæ natalem undecimo Kalendas Maias insigni gratulatione, votisque solemnibus ex oraculo Sibyllinorum Carminum celebrarent. Inde illa præconis solemnis vox ad spectacula invitantis: *Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, neque visurus est, nam seculum centum continet annos.* Hinc illa Vitellij assentatio Claudio ludos seculares exhibenti; *sæpe facias.* Quæ quidem ludorum Romana religio perduravit usque ad tempora Constantini Magni, qui hanc centissimi anni celebritatem, ad colendum centesimum quemque servatoris nostri natalem sanctiori ritu traduxit, idque obsolevit, donec per Bonifacium VIII. solemni decreto renovari iussus est annus Christi jubilæus centessimo primùm, deinde quinquagessimo, ac demum vigessimo quinto anno, per alios summos Pontifices magno cum jubilo celebrandus.

Capitolin. apud Beyerlink. Verb. *Ludus.*

Agite iam nunc VVdi. PP. salvete Brunonis generosa soboles, electa multitudo, frequentia pretiosa, iubilate Deo in exultatione, mutuis congratulationibus exultemus, qui non jam Christianæ solummodo Religionis iubileum, sed nostræ Carthusiensis sextum fortunatis plausibus, videre, & celebrare meruimus.

Felices, qui talem annum videre, diemque. *Virg in Cir*

O vos omnes, qui in abscondito faciei Dni à conturbatione hominum protecti, Igniti Seraph in cellis vestris die, ac nocte caminis indesinentibus amoris sabbatum ducitis, Venite non ad seculares prophanos ludos, quos horretis, sed ad sex seculorum nostrorum iubila, gratesque libandas pro centenaria celebritate, quam nemo nostrum vidit, neque visurus est: Venite spiritu, qui spiritales estis, ut hymnis, & confessionibus seculari sexto anno lætum canatis, faustumque pæana *In lætitia egrediemini, & in pace deducemini; montes, & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu, pro Saliunca ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus, & erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.* *Isai. 55.* Tu autem, qui in cælis habitas, suavissime spiritus; tu, quem non deliniunt verba, sed puritas; tu, apud quem sæpe muti loquimur, & clamantes tacemus, adiuva orationè titubantem, & siccitatem styli mei gratiæ tuæ imbre locupleta.

§. I.

EN LECTULUM SALOMONIS. Cum in amplissimam istam panegyrim, VVdi. PP. Præsulesque dignissimi, ad hos comitiales dies agendos, vos pene senos decies Congregatos aspicio, videre mihi videor sexaginta fortes illos, qui lectulum salomonis in perennem gyrum vallantes, illius veluti propugnatores, atque custodes perpetui, vigiles circunstabant Et quidem per lectulum salomonis nostram Religionem Carthusiensem apte significari in cuius quiete, & sopore contemplationis optimus Salomon IESVS CHRISTVS Rex pacificus pausat, & quiescit, ipseque vicissim à mundi solicitudinibus omnino vacans, absque rerum humanarum perturbatione in sui sponsi amplexibus conquiescendo delectatur, præterquam quod ex ipsa terminorum adaptatione perspicue apparet, adhuc ex proxime superiori contextu manifestius comprobatur.

Admirabantur sive Angeli, sive sponsæ sodales profectum animæ pænitentis, & sic in admirationem raptæ percontantur. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarij?* Quæ est ista, quæ ascendit, non de deserto, quasi ab illo discedat, sed per desertum, ita ascensiones in corde suo disponens, ut non ab illo, sed per illum semper moveatur ascendens, atque progrediens? Quæ est ista, quæ thymiama amoris effecta, semetipsam holocaustum in odorem suavitatis offerens Deo rectà cœlum versus ascendit tanquam virgula fumi ex aromatibus myrrhæ mortificationis, & thuris orationis, quin & universarum virtutum pigmento, ac suaveolentiæ? Respirate. Per desertum ascendit? Ipsa est Carthusia, ô sorores, ô sodales! *En lectulum salomonis*, subiungit statim. En quo ascendi, ad glo-

Card. Vgo hic. r'am, & dignitatem lectuli Salomonis; *Quasi diceret*, inquit Card. Vgo, *ô Soror. tu miraris de ascensu meo, forte nesciens, quò ascendam, vel ascendi jam, scilicet, ad lectulum Salomonis, idest, jam sum ei sociata in lectulo meo vera, & integra fide, vel sum effecta lectulus eius.*

En lectulus dicitur, non lectus sacra nostra Religio, tam exilis, atque angustus, ut propter brebitatem, cruci, quàm cubili videatur similior. At quænam eius materia, quinam ornatus? ubi columnæ, ubi punica mala pro coronide imposita, ubi ebur, ubi aurum, ubi denique gemmæ? omittuntur omnia. Sed mehercle in ferculo, V. sequenti, discribendo gazæ non omittuntur. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de Lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit.* tanta ferculi pompa! tanta lectuli exilitas! ferculum, sive vehiculum regium tali cum gloria, magnificentiáque oculis exhibetur, ut argentum, & aurum, ostrumque ad eum architectandum proludere videantur, cum ad lectulum nec vastum Libani lignum dolabra dedoletur? sed parcite spectatores. Lectulus non apparet: est quippe locus in penitiori recessu absconditus, in quo anima sancta placida, quietaque cœlestium contemplatione altius cum Christo consopita quasi mortua jacet. Vno verbo, est Carthusia, quæ quantaquanta est, numquam in publicum, sicut ferculum, spectanda proponitur, numquam in foro salutationes ambit cubiculo semper contenta Quin in tanta hominum solitudine, at assiduissima Angelorum frequentia, illam degit fœlicissimam vitam, quæ cum Christo in Deo à cæteris ignoratur abscondita. Sint ferculum Salomonis media charitate constratum cæteri gravissimi prædicatorum ordines, nam si ferculum à *ferendo* dicitur, ij sunt, qui per ascensum purpureum, per calcatas, inquam, purpuras, per tot hæreticorum, & Infidelium turmas martirii sanguine immersa, auro fulgentiores, argento nitidiores Christum, quò ipse voluerit, ubique terrarum, gentiumque ferunt: tibi autem, amoris mei Carthusia, *Lectulus noster floridus*, sufficit,
Cant. 1. quod lectulus sis, licet dumis, & sentibus vallatus inhorrescas: talis quippe sponso, & sponsæ congruebat, quorum ille flos campi, hæc autem lilium legitur inter spinas. O quàm pungunt spinæ istæ! ô quàm somnum adimunt! ijs, nimirum, qui in cellam vinariam introducti, neque vino pleni, neque in charitatem ordinati ad lectulum istum accesserint cubituri; at sponsæ jam amore languenti hic sufficit lectulus communis etiam sponso, in quo, arctissimo delectionis amplexu, cum illo, quem solum diligit, quem solum cubantem quærit, implicata conquiescit. Perbelle Abbas Gillibertus. *Quid tamen est, quod de ipso lectuli nobis apparatu nihil dicit? numquid lectulum intelligimus neglectum? absit. Sed sufficiebat, ut lectulum diceret, qui sponsa loquebatur; illa enim nihil in lectulo diligit, nisi quod lectulus est, & quod in eo copia sit suum amplexandi Salomonem.*

Gillib. ser. 16. in Cant.

Iam vero complures mundi sapientes audio de sterilitate contra lectulum blaterare. Vbi è lectulo geniti filii? Heus tu, qui eminus nos inutiles, & steriles irrides, deserta pete, Libani saltus penetra, rupes arduas, & præruptas supera, iuga montium scande, cominus accede, huc ubi Carthusia, velut aquila, *in petris manet: & in praruptis silicibus*
Job. 38. 28. *commoratur, atque inaccesis rupibus. Inde contemplatur escam, & de longe oculi ejus prospiciunt. Pulli eius lambent sanguinem.* Vtique Redemptoris.
1. Reg. 2. En quantus extitit in sterilitate fœtus: *sterilis peperit septem* (sic Græce legitur) *& qua multos habebat filios infirmata est.* Sed quomodo septem pe-

perit

perit Anna, quæ unum tantummodo ediderat Samuelem? Occurrit Nicetas in Naziancenum: *quia matri suæ erat Samuel instar septem, hoc est numerosæ sobolis loco fuit.* Sic nimirum Ecclesia gentium, quæ ab æmula Synagoga de sterilitate carpebatur, in novissimis diebus Lutetiæ peperit septem Carthusiensem nempe ordinem, qui Ecclesiæ Dei pro omnibus habeatur, & numerosæ sobolis loco sit. Prendamus Seraphicum Franciscum hic Cherubim agentem. *Sterilis est*, aiebat, *frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium: hic pariet in judicio plurimos, quia quos nunc privatis orationibus convertit ad Christum, sua gloria tunc judex adscribet. Quæ multos habet filios infirmabitur, quia prædicator vanus, & loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc, se nihil proprii habere in eis.*

Nizet. *in Naz. ora in Penthe*

S. Franc. *apud S. B nar. in ej vita cap.*

Ergo nos, qui mundo, ob somniatam sterilitatem probro & risui sumus, ejus insectationes meliori sanè jure derideamus. Quid enim unquam tam sanctum fuit, quod non aliquamdo violaverit audacia? Quid tam honestum, quod à dolosa maledicorum lingua, labiisque iniquis fuerit immune? Sed frustra morsus suos in eos conantur impingere, quos protegit Deus in tabernaculo suo à contradictione linguarum. Quid ni ego cum Propheta canam? *Lætare sterilis, quæ non paris, decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filii desertæ, magis quàm ejus, quæ habet virum.* Lætare Carthusia sterilis, lætare, quæ non pariebas. *Dilata locum tentorii tui & pelles tabernaculorum tuorum extende: ad dexteram enim, & ad sinistram penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit: noli timere, quia non confunderis, neque erubesces: non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris.* Adolescentiæ? Lætare potius maturam jam ætatem adepta, & cum Gabriele Archangelo ad Mariam V. desponsatam Ioseph, tu quoque, vel potius ego in altum vocem extollam: *Hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis.* HOC SECVLVM SEXTVM EST ILLI, QVÆ VOCATVR STERILIS: quæ vocatur, non quæ est. Hic illi sexcentesimus annus est, exquô *quasi plantatio cedri in monte Libano* contra lacertos firma, contra tempestates solida, contra secures dura, contra ætates vivida egit radices altius, extulit truncum sublimius, diffudit ramos latius, protulit fructus uberius nec tepori, nec tempori cessura.

Isai 54.

ibid.

Luc. 1.

Ecclesiti. 50. 14.

Sed age, Gabrielem urgeamus. Quærunt interpretes, cur in mense sexto concepti Ioannis expleto, Verbum Divinum apparere dignatus est in utero matris? Ad quid illud, *ecce Elizabeth cognata tua*, quasi res nova, & mirabilis, quod sterilis concepisset, & sextus illi mensis à Conceptione esset. Respondent ex Divo August. quod quinarius numerus imperfectus est, & ideo lex vetus, quæ nihil ad perfectum adduxit quinque libris continebatur: Senarius autem numerus est perfectus, eaque propter homo, quo nihil in orbe maius, & perfectius, sexto die conditus fuit, propter ipsum que sex diebus totus mundus absolutus, ut qui omnia fecit in mensura, & numero, ipso numero, quo mundũ fabricabat, opus declararet esse perfectum. Addunt alii, adeò æternæ sapientiæ amicum esse hunc numerum, ut in sexta mundi ætate Christus apparuerit, & in sexto annorum millenario, quin etiam & sexta feria passus, & sexta hora in cruce suspensus, ut vel sic significaretur, in perfectione, & plenitudine temporum venisse. Nunc mentis aciem mecum in desertum intendite.

Aug. *tract. 17. in Joan.*

Ludolph. Carthus. *in vita Christi cap. 5. de concept. salvat.*

Apparet saliens in montibus Bruno, collesque transiliens, ut vitam

eremiticam pene colapsam instauret. At quando & quomodo apparet? In mense sexto, juxta nati Ioannis festivitatem, in patronum hac de causa specialem assumpti. Non plures, quàm sex viros delegit socios. Romana Petri navis in eo de latibulo ejus evocando remoram patitur, usque dum sex annos expleat in hac dulcissima sibi solitudine. Eius consiliis, ac doctrina (ut recitat breviarium Romanum) Vrbanus in tot illis Ecclesiæ calamitatibus per sex annos usus est. Ecquid plura contexam? Calabriæ occidit sol in specu sexta die Octobris, in meridie, an sexta hora, nescio. Quid hoc est, Deus immortalis! tanta Brunonis cum senario numero Cohærentia! Nimirum: numerus est perfectus, & fundator Carthusiæ, qui parare Domino venit plebem perfectam. & rectas facere in solitudine semitas eius, alia quàm perfecta tempora nescit. Aiunt Physiologi, sextum post mensem non contingere aborsum à causa intrinseca, sed ab accidenti extrinseco, quia fœmina, quæ ad sextum mensem perducit fætum, perfectæ virtutis est in concipiendo, & generando, & si contingat, ut anus concipiat, tamen non nutrit fætum, nec ad sextum perducit mensem sed aborsum patitur. Vnde ad verba Gabrielis adnectit Eminent. Card. Toletus. *Illa, quæ sterilis erat, quamque omnes hoc nomine appellabant, tantam virtutem à Deo est consecuta, ut fætum ad sextum iam mensem perduxerit, quod est signum perfectæ Conceptionis, & partus futuri.* Euge nunc alma Parens, quæ ab initio desponsationis tuæ Ioannem in Patronum mente concepisti, in eoque adumbratam vitam solitariam, non iam ad sextum mensem, sed ad sextum expletum seculum perduxisti. Tu, quæ vocitata sterilis, in probrum que hoc nomine communiter appellata tantam virtutem à Deo es consecuta, ut fætum sanctum tuum, tuum inquam, perfectissimum institutum (dignum, quod cum Ioanne, quo non surrexit maior, compararetur) ad sexcentesimum iam annum perduxeris: Hui! quale signum perfectæ Conceptionis tuæ, & partus in sæculorum secula, æterna quæ gaudia futuri! ne iam occultetis gloriæ tuæ rubore suffusa, sicut Elizabeth *occultabat se mensibus quinque*: quina secula transierunt, & sextum explevisti, septimum que ad fores est; de innumeris tibi æternitas ipsa gratuletur, dum tu de perenni tua duratione in æternum congaudes.

Card. tolet *in coment. cap.* 1. Luc.

Luc. 1, 24.

§ II.

SEXAGINTA FORTES AMBIVNT EX FORTISSIMIS ISRAEL hunc, sive Brunonis, sive Salomonis lectulum, in quo vir contemplativus, quasi alter Iacob moriturus, & à rebus humanis recessurus, suos colligit pedes, hoc est, suos omnes affectus, & vagas cogitationes, ut suaviter in Domino obdormiscat. Cui, iuxta Iansonium, *sexaginta fortes præpositi sunt, qui invigilant illis, qui versantur in via contemplativa, ne professionem contemplationis vertant in nundinationem erroris.* Heu! quàm multi, non in cubiculo contemplari, sed errores in foro nundinari viderentur, nisi Cælo ordinis accensi super illos invigilarent fortissimi præsules Israel! sed cur nec plures, nec pauciores sexaginta lectulum Salomonis vallo muniunt? Ex longe maiori numero conflabatur regis satellitium, *sed sexaginta illos præfinito numero intelligo* (inquit de rebus Salomonis Hispalensis Pineda) *qui lectissimi essent, atque fortissimi*

Pined. *de rebus Salom. lib.* 5. *cap.* 13. *n.* 28.

universo satellitio. Huic adjungo nostrum Dionysium dicentem : *Quoniam sexaginta sunt deciessex, per denarium adimpletio decalogi, per senarium ipsa observantia hujus insinuatur perfectio.* Dionys. Carthus. in 3. Cant.

Enimvero VVdi. PP. quamquàm longe numerosior sit Prælatorum phalanx, quæ in concubia huius seculi nocte excubias pro ordine indesinenter agat : quis ambigat ex universo satellitio, lectissimos, ad bellaque doctissimos sexaginta esse, qui hunc gravissimum consessum canitie, & prudentia ornatum quotannis illustrant, à quo tota legum adimpletio, observantiæ que perfectio, tanquam à perenni scaturigine in omnes domorum amnes uberior ùndique defluit, *ut ad locum, unde exeunt flumina revertantur, ut iterum fluant?* Hic in sacro Areopago VVdi PP. Diffinitores zelum tenentes Eliæ, & constantiam Mathatiæ, pro patriis legibus, pro regimine Ordinis inconcusso, proque eius primævo rigore pugnantes, quoniam à natura eam hausimus inconstantiam, ut quæ summa contentione, ac studio amplexi sumus, quasi senescente primo illo animi vigore, paulatim deseramus : sic omnem vitæ nostræ rationem sanctissimarum ordinationum adminiculis temperant, ut ad solidam, perfectam que virtutem contendamus, ac si quando aberrare contigerit, illuc, unde non docuit abire, revertamur.

Hic arcus semper intentus numquam laxari videbitur, ut iam mirum non si, sit *sagitta Ionatha nunquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est reversus inanis.* Nunquam rediit retrorsum? Sat sit Ionathæ, quod 2. Reg. 1. tanta in contorquendis sagittis dexteritate polleat, ut nunquam ab scopo aberret Non sat est. Id epicedium celebrat maximè, quod sagitta tanta vi iaciatur, ac dirigatur, ut semel, quamtumvis eminus, infixa, non retrorsum redeat, neque retundatur. At unde vis tanta? Nescio si à judiciariæ gladio potestatis, quem semper isti duo Principes gestabant in manu : nam *cum venisset dies prælii*, inquit alibi textus, *non est inventus ensis, & lancea in manu totius populi, excepto Saül, & Ionatha filio ejus.* 1. Reg. 13. Erant supremi Principes populi, & licet duces inferiores, successibus adversantibus, inveniantur aliquando exarmati, supremi tamen, qui gubernaculum tenent, districtæ severitatis gladium in manu semper debent gestare. Posuit in Ecclesia Dominus, quasi sagittam electam in pharetra sua absconditam, Religionem Carthusiensem, quæ à tot seculis nunquam rediit retrorsum; quare? Num quia ex quo Dominus ab obediendum aperuit illi aurem, potest cum Isaia dicere : *Ego autem non contradico, retrorsum non abii.* Isai. 50. Num etiam quia Majores nostri, seu quod leviora licentius serpant, seu quod vix de minimis defectibus doleamus, seu denique quod in minimis semina delitescant gravissimorum criminum, omne studium, & diligentiam adhibuerunt in præcavendis minimis quibusque, ne his neglectis, transitus paulatim ad maiora fieret? Bene omnia Sed etiam maxime nunquam rediit retrorsum : quia licet inferiores prælati, sive ob desidiam, sive ob sontium protectiones, exarmati aliquando reperiantur, supremi tamen Principes nostri in spiritu & virtute Eliæ apparentes, gladium que potestatis suæ agnoscentes, nunquam à quovis humanæ dignitatis clypeo à debitis pœnis sumendis repelluntur.

Rediret autem retrorsum electa sagitta nostra, quamlibet in pharetra Dei abscondita, si (quod Deus avertat) ejus ab Apostolica sede approbatum institutum, & regimen in aliquo substantiali mutaretur. Scitum est, in Apostolorum vertice Petro, vitam activam, & in Ioanne desum-

per ipsos quatuor volitante, vitam contemplativam designari. Ideo Petro, *tu me sequere*, dixit Dominus, & Magister: Ioanni autem, *sic eum volo manere, donec veniam.* Vbi præstat Augustinus: *perfecta me sequatur actio informata meæ passionis exemplo, inchoata vero contemplatio maneat, donec veniam.* Petro dicitur, tu me sequere, hoc est, in peregrinationibus, doctrina, prædicatione usque ad mortem Crucis, Ioanni autem, & in eo adumbratæ vitæ Carthusianæ, sic eum volo manere, donec veniam, sic volo permanere Carthusiam. Quomodo? *Sic.* Domine, quid est, *sic*? Dicito nobis, qualiter huius lectuli flores semper iidem nunquam arescent, neque marcebunt? SIC, qualiter ab initio sunt plantati. Quomodo firma, & stabilis perseverabit, quæ in ipso n ycthæ montis vertice sedem suam elegit, & collocavit? SIC, non aliter. Qualiter Autora consurgens in dies crevit ut Sol per sexcentos annos crescere potuit, quæ ab initio summa fuit? SIC. En qualiter una, & eadem, semperque sibi constans, non sine stupore mortalium, haud quasi Luna mutatur sed illam ad pedes habet, Cacodæmone ibi in ejus regimen inconcussum debachante: *adhuc tu permanes in simplicitate tua?* *Morere*, tua, quam per tot secula in sinceritate traducis, vita mors mihi est. Apage bellua. Facessat humanæ prudentiæ astus, *una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ.* Si columba est, simplex est: si perfecta est, Carthusia est: si una est matri suæ, divisionem à matre non amat: Carthusia de Orco, mundoque triumphabit, dum cum eodem B. Iob possit dicere. *appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam.*

Ioan. 21. Aug. *tract.* 124. *in Ioan.* Iob. 1. Cant. 6. Iob. 31.

Quatuor circiter secula ordo Carthusiensis enumerarat, cum sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus de sacris Religionibus ante & ortis historiam contexens, hæc verba protulit: *omnes autem præfatæ Religiones Monachales, & regulares quæ cum magno fervore, & vita sanctimonia initium, habuerunt, minima negligentes traditionum paternarum, in processu temporis paulatim defluxerant usque ad fundamentum in eis, vota scilicet, substantialia: excepto ordine Carthusiensium, qui adhuc in suo vigore perseverat.* Scripta sunt isthæc ad gloriæ nostræ decus ducentis long plus ab hinc annis, & si Beatus hodie scriberet, eadem potiori iure de ordine nostro proferret, quippe qui, Deo gratias immortales, à limpidissimis sui ortus crepundiis non solum non degeneravit, quin potius in duobus hisce sæculis quamplurima in mensuram, & numerum politiorem redegit, quæ si cum prioribus conferantur, neque illius aurei primi seculi abolita memoria videri possit, neque tam nova quæsita vivendi forma, quam vetus splendidius conservata? & unde hæc tam singularis à Numine gratia? Ni fallor, ab illa æterna in Ordinem providentia, qua Petro summo Ecclesiæ Capiti, & summis eius successoribus dixit, *sic eum volo manere, donec veniam*, sic eum ordinem firmum, stabilem, invariatum in regimine, moribus, rigore apprehenso volo permanere, donec veniam. Quod sane usque adeo videmus impletum, ut in variis persecutionum procellis, quæ inter spumantes fluctus, Brunonis cymbam iaculare videbantur in Solem, è Sole que in profundum, nunquam Pontificia Petri sollicitudo in summis eius successoribus defuerit *Domine, hic autem quid?* Hic ordo quid? sed ad illos identidem Dominus, SIC EVM VOLO MANERE DONEC VENIAM.

S. Antonin. 2. *p. hist. titul.* 16. *cap.* 22. §. 2. & *cap.* 23 §. 2. obiit anno 1459.

Quiescat jam, quiescat in arena cymba, quemadmodum olim sexcentesimo anno vitæ Noe quievit Arca super montes Armeniæ. Faxit Deus,

quiescat

quiescat; nam sermo, qui jam pridem exiit, quod ordo Carthusiensis non moritur, hodie videtur impletione firmatus, dicente ad Iob Eliphat Themanite: *In sex tribulationibus liberabit te & in septima non tanget te malum.* ubi Vgo Card. *In sex statibus laborantium liberabit Dominus te, & in septima, quæ est resurgentium, sive quiescentium, non tanget te malum.* Notum est, in senario numero, quem septimus sequitur, vitæ præsentis decursum designari, sex etenim diebus Deus cuncta creavit, & in septimo requievit, qui nullo, sicut cæteri, vespere clauditur, quia septimus huic vitæ succedens æterna requie possidendus nullo fine terminatur. Enimverò PP. Amantissimi vita nostra Carthusiana, quid est, nisi tribulatio, & angustia quæ invenerunt nos? sex ætates laborantium, in quibus Dominus liberavit nos, aliæ non sunt, quàm sex secula, quæ inter tribulationes, & asperitatum tribulos fœlicissime consummarunt pugiles nostri. quibus nullus huius vitæ dies à Crimine vacuus illuxit, *Qui inter hujuscemodi lætabantur, & esse sub sentibus delicias computabant.* Reliquum est, ut septimum quod jam ingredimur, seculum, faustissimum sit auspicium illius ætatis septimæ huic vitæ succedentis, æterni Sabbatismi, nunquam que lapsuræ solemnitatis, quæ nunquam occidet, neque advesperascet, *Et in septima non tanget te malum.*

Job. 5. 19

Iob. 30. 6.

§. III.

OMNES TENENTES GLADIOS, ET AD BELLA DOCTISSIMI Circunstant Brunonis sapientissimi lectulum, in gyrumque collecti gladijs communiunt, ne Zabulo, qui *tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret*, Vllus undique pateat aditus: sed ad quid tantus armorum fragor, & fulgor super torum placide quiescentis regis pacifici? intra vela decumbentis tentoria explicata cernere libet, structa quæ agmina in pugnam, ut Holofernis conopeum potius, quàm lectulus Salomonis videatur. Falleris. Nam qui dixit: *Non ueni pacem mittere, sed gladium,* ipse est, qui recumbit, Alius Evangelista loco *gladij* posuit *separationem. Putatis, quia pacem Veni dare in terram? non, dico vobis, sed separationem, Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos, & duo in tres.* gladio igitur isto separationis vult Dominus Prælatos suos armari ad ipsius lectulum custodiendum: nam cum lecto Principes incubuerint, tum enimverò moliri magna, summa què deliberare aggrediuntur, adeò ut in solio circumspecte nihil agatur, quod prius per cervical dormientis non pertranseat. O qualia, & quanta sunt, quæ super lapidem Iacob suppositum supremo capiti nostro ab ipso deliberantur, ut quasi os Domini separet pretiosum à vili, ut que ex ore gladio, utraque parte acuto, procedenti dissecet, & dividat omnem humanum affectum resistentem, & obiantem primævo purrissimo instituto nostro, atque omnia, quæ terrenarum terum abstractioni, qualis solitariæ vitæ professores decet, ea fortiter, strenue, & constanter separet, ac remoueat. Ad exequenda igitur isthæc, quæ cum tranquilitate deliberantur, & magna eum reverentia diponuntur, *Quia parum est statuta condere, nisi sint, qui ea tueantur*, adstant Salomoni sexaginta fortes, Cataphracti que lectulum cingunt, omnes tenentes gladios, non ut offendant, sed ut defendant in bello discretæ separationis doctissimi.

1. Petr. 5.

Matth. 10.

Luc. 12.

Ierem. 15.

2. p. Stat. Carthu. cap. ulti. n. 2.

Sed occurrit non contemnenda intellectui species. Isti ex fortissimis fortes, tenentes gladios, hoc est, in manibus habentes exhibent sese;

quomodo ergo gladijs perhibentur ac cincti? si in manibus, non super femur, & si super femur, non jam in manibus. Theodoretus plane fatetur, *Duos ye stasse gladios, unum super femur, alternm in manu, unum reprehensionis, alterum intelligentiæ; illum in promptu ad coarguendum, hunc mysticum, & tanquam in vagina reconditum ad mysteria pervestiganda.* Consonat Ambros. allussionem faciens ad duos gladios, quos discipuli in passionis nocte protulerunt, *Dne, ecce duo gladij hic.* Vnus erat reprehensionis, quem Petrus arripuit, alter erat orationis, sive intelligentiæ, quam idem, cum oportuit, non strinxit, *Sic non potuisti una hora vigilare mecum?* ô utinam Prælati mei ex fortissimis, non Iacob, sed Israël Deum videntis, istis duobus gladijs armati semper incederent, nec primum reprehensionis vibrarent, quin secundum orationis acuerent! *Sic vigilet in ore Coreptio* (ajebat Fulgentius) *ut in corde non dormitet oratio.* Et ideo, si Tertuliano credimus, *patientia Dni in Maltho vulnerata est.* Quare? quia à somno in gladium Petrus insiliit; vigilare, Petre, una hora non potuisti, & non erubescis semisomnem correptionis gladium assumere? furor est, quem fervorem jactas, reconde gladium tuum in locum suum, ora prius, etsi oportet, puni, macta: si vigilasses, & orasses, vel patientiam meam non ferires, uel Malchum sapientius ferires. Vna mulier Hæbrea, quæ fecit confusionem in Castris Assiriorum fit Petrum imitantibus in confusionem, Iudith, illa famosissima, quæ priusquam pugionem Holofernis in caput eius arriperet, *Stetit ante lectum orans cum lachrymis, & labiorum motu in silentio dicens: confirma me Dne Deus Israël, & respice in hac hora ad opera manuum mearum.*

Theodor. hic.
Ambros. hic & in cap. 22. Luc.
Fulgent. in serm. de S. Sthepha.
Iudit. 13.

O si ante lectum correctionis glado feriendi mente procideremus, precationesque ad Deum pro funderemus, quam fortunatiores ille ictus experiretur! forte, sicut Sanson, relinquerent superiores in vulnere alvearia dulcedinis, dulcique prodigio locum plagæ plenum facerent esse mellis. Sed relinquerent proculdubio, si qui corripitur Leo esset: generosus animus dum premitur, mella conficit. Corripitur à Natham David, peccavi, inquit, illico lachrymarum gurges erupit: en mel in ore discerpti Leonis, imo leones dicerpentis; non irascitur, non desperat, non obduruit: Leopardus esset, sicut Saul, & vomeres in lanceas contra corripientem se conflaret.

Iudic. 14.

§. IV.

VNIVSCVIVSQUE ENSIS SVPER FEMVR SVVM id denotat juxta Bernardum, *Quia Prælati S. Ecclesiæ prius in se, & tunc in sibi subditos vitia carnis debent resecare.* Et nobis quidem qui à campestribus voluptatis elongati sumus, bene enses super femur adaptari, is non diffitebitur, qui pudoris lineamenta in femore præcincto, sciverit effigiari. Iacob quippe nisi cum *mansit solus, & vir luctabatur cum eo*, à contacto femore non emarcvit, quia nulla magis virtus, quàm pudor decet solitarios cum Domino luctaturos. O pudor! ô Candor! ô ab utroque Carthusia, quam places Christo! ab initio *lectulus noster floridus*, sed à nullo tantopere flore, quàm ab illo, qui lilium Convallium vocitatur. Vallatus præsulibus lectulus, Vallatus liliis, quia muri tui, quibus undequaque *hortus conclusus* perhiberis, lilia tua sunt à labijs sponsi *distillantia myrrham primam*: nihil enim pudori ita amicum est, ut mortificatio, nec deliciis castitas delectatur, sed amaritudine.

Bern. tract. de bene viven. ad soror. Serm. 19.
Genes. 32.
Cant. 5.

Et lilium ſane ſtemma regnorum eſt , nam Salomon in Candelabris, co- 3. Reg. 1.
lumnis , capitelliſque templi Lilia poſuit , nec ipſemet *in omni gloria ſua* Math 6.
coopertus eſt , ſicut unum ex iſtis. Quin & chriſtianiſſimi Franciæ Reges glo-
rioſius nil invenire potuerunt ad ſua regni inſignia delineanda. Quidni ?
Carthuſienſis ordinis prima ſedes ibi figenda & ſtabilienda erat ,ubi LILIA
arma militiæ ſunt ? ô fundamina ſempiterna ! ô flos æternitati non deci-
duus . Lætemur , & exultemus , & Iſaiæ pareamus : *Lætabitur deſerta , &* Iſai. 35.
invia , & exultabit ſolitudo , & florebit quaſi lilium. Sed Vnde , rogo, tanta
in Eremo exultatio ! quia floruit quaſi lilium , quia flores apparuerunt in
rupibus, ſed non quilibet , ſed ſolummodo lilium : inter tot frutices, ger-
mina que naturæ,non vini, non frumenti , non olei , non florum cętero-
rum meminit , ſed tantum Lilium depredicat in ſolitudine, Cur ? quia ubi
lilium fulget , cętera vix fulgent. *Nulli florum* inquit de eo Plinius , *Ex-* Plin. *lib.* 2[...]
celſitas maior , languido ſemper collo ; neque ulli Ordinum , quàm Carthuſię, *cap.* 5.
cui illud ſemper congruit , *Vultu in terram demiſſo adorabunt te* , celſitas Iſai. 49. 23
major. In modum coronæ lilium pompam ſuam explicat ; quia æternitati
pinxit, qui Carthuſiam pinxit. Sex lilium habet folia, in quorum centro
juxta Berchorium , ſeptem continet grana ; & æternitati in præſentiarum Bercor. ver[...] *lilium.*
Carthuſia dat ſecula ſex vivificata a ſuis ſeptem primis parentibus qui tan-
quam grana, ſemina que puriſſima ſolitudinum ſenticeta in Eccleſiæ lilieta
commutarunt.

O quantus hinc efflatus odor univerſam perfudit Eccleſiam Nos itaque
Chriſti bonus odor erimus , *Quaſi Lilia , quæ ſunt in tranſitu aquæ, & quaſi* Eccleſiti. 5[...]
thus redolens in diebus æſtatis , ſi neque illa pœnitentiæ lachrymis rigare,
neque hoc contemplationis igne flagrare aliquando deſiſtemus. Sic enim
Iſrael germinabit ſicut lilium : quin etiam *ut palma florebit,* uel . ſi ex Græ- Oſe 14.
co legimus , *ut Phænix florebit* , Nam eadem vox, quæ palmam , Phænicem Pſ. 91.
ſignificat. Et huc collimavit Iob. cum dixit : *In nidulo meo moriar , & ſi-*
cut Palma (Græce) ſicut Phænix multiplicabo dies meos. In rogo , ſive ni-
dulo ſuo . quem in palma ex Cinnamomo, myrrha , caſia , thureque con- Job. 29.
ſtruit, moritur Phænix, finitque in odoribus æuum , ut in alterum, iuvan-
tes plendore Phæbeo , ruptis pullulet exuviis , & ſic dies ſuos multiplicet.
Hoc de Phœnice ſciunt omnes : illud non tam ab omnibus ſcitum , quo-
nam tempore Phænix renovetur. Volaterranus ſcribit , annos vivere ſex- Volateram
centos, quamvis Plinius ex ſententia Manilij refferat vivere ſexcentis ſexa- *Geſner. lib*
ginta. Subiungitque : *Cum huiùs alitis vita magni converſionem anni fieri* 3. *de avib.*
prodit idem Manilius , iterum quæ ſignificationes tempeſtatum , & Syderum eaſ- *in pœnice*
dem revrti, *en Pœnice.*

Expectat igitur Phœnix ad ſuam innovationem,ut Magnus evolvatur an- Plini lib. 1[...] cap. 2.
nus , qui ex Beda & alijs ſequentibus Ioſephum , ex ſexcentis annis ſo- Beda lib. de
laribus conſtat, tunc que impletur , cum omnia ſimul errantia ſydera ad temp. ratio-
ſua quæque loca quæ ſimul habuere, recurrunt Namque Sol, & Luna,& ne cap. 34.
quinque reliqui Planetæ ſuos curſus conſtantiſſime ſervantes , diſparibus
tamen inter ſe motibus , eo plus, minus vè quo terræ proximiores,uel ab
illa ſunt diſtantiores , ſuos circulos , & orbes mirabili celeritate, & varie-
tatum ordine perficiunt.Quando ergo poſt multas horum aſtrorum viciſſi-
tudines, perfectis , & abſolutis omnium ſpatijs ,ad eandem interſe com-
parationem hoc eſt , ad eundem locum , unde primò digreſſi fuere , fa-
cta eſt omnium ſimul una converſio , nempe ſexcenteſimo quoque anno à
prima omnium creatione, ille tunc fit annus , quem Mathematici mag-

num appellaverunt. Tum itaque redit idem Planetarum motus, redit idem aspectus, & significatio, redit denique eadem totius cœli, quæ fuerat ab initio, descriptio. Et Phænix in sublunaribus redit, & juvenescit.

Nunc ad P[.]etiam nos redeamus. Carthusia, *ut Phœnix florebit*, in nidulo, suo multiplicabit dies suos. Quandone? subjungit statim: *multiplicabuntur in senecta vberi.* O res nova, & singularis! tanta in senecta (quæ sic dici, tur *à sexta ætate*) fæcunditas; tanta, & tam ferax ubertas! in senecta quæ ætatum est gravior, & infœcundior, quæ occasus est vitæ, tam pulchra & Casta generatio cum claritate! immortalis est, non iam memoria tua, sed vita, chara mihi mater Carthusia. siquidem ea, quæ omnibus tam gravis est, & infœcunda, tibi maturior, & uberior est ætas; ea, quæ cæteris occasus est vitæ, tibi mirabilis, & novus est ortus. Hic tibi è nidulo tuo ut cum Phœnice dies multiplices, si minus resurrectio, certe in senecta mirifica renovatio. Sexcenti tibi elapsi sunt anni, quos nisi vidisses, neque perfectam ætatem adepta esses, neque tam gloriosæ, quamvis non omnibus notæ, utilitati Ecclesiæ universæ fuisses. Adest Iosephus rationem exhibens, Cur in
Josep lib. 1. antiq. cap. 8 primis illis hominum seculis tam longa eis esset, ac diuturna vita. *Propter virtutes, inquit, & gloriosas utilitates, quas jugiter perscrutabantur, idest, astronomiam, & geometriam, Deus eis ampliora vivendi spatia condonavit, quæ non ediscere potuissent, nisi sexcentis viverent annis: per tot enim annorum curricula magnus annus impletur.*

Ergo hic tibi, sacrarum religionum Phœnix (ut unde est orsa eodem mea terminetur oratio) hic tibi MAGNVS est annus, in quo, ut innoveris, illi tui septem Planetæ, quos summus ille, atque Supremus luminum Pater, suo quasi de lumine accendens procreavit, in suos iterum circulos, quos primum incæpere, revertuntur, ut idem in motibus ordo, constantia redeat, & moderatio. At cujus ne opera revertuntur? EIA DVX NOSTER, PRINCEPS, ET MODERATOR: *Scribe tibi omnia verba, quæ locutus sum ad te in*
Jerem. 30. *libro, dicit Dns: ecce enim dies veniunt, & convertam conversionē populi mei.* Ecce
Apoch. 11. *datus est tibi Calamus similis virgæ.* Scribe Calamo, metire virga: calamo suaveolenti, virga æquitatis, & directionis.

Non quæ agas moneo, sed quæ egisti laudo. Hæc sane mihi est Reverendiss. P. totius meæ concionis causa difficilior: quibus enim verbis, Deus immortalis! eum tam breui digne commendabo, qui nec nimis valde unquam, nec nimis sæpe laudabitur. Non opus censui in patrosinium laudū tua facta advocare, ea quippe sunt adeo præcl[a]ra, ut nemini non sint nota, adeo utilia ut omnibus probanda fuerint, & probata, adeo gloriosa, ut quæ tibi perseipsa memoriæ immortalitatem compararunt, nec recenseri quidem poterunt, quin eximia illorum magnitudo deprimatur, singularis que splendor, veluti caligine quadam, obscuretur. Hæc omnia sileant, cum una tua in dificilibus rebus aggrediendis magnanimitas, in Consiliis Capessendis gravitas, in exequendis maturitas, in retinendis constantia, atque fortitudo, accuratissimum studium, ac diligens providentia in religiosa disciplina tuenda, promovendaque, scribendi esset argumentum amplissimum. Dignus, cui, superno disponente Consilio, inter XLIX. supremos ordinis Apices, hic MAGNVS renovationis annus obtigisset in quo ad imaginem illius primi ævi, velut in speculo comptos, nos ommes ostentas, non labori, non sudori, non industriæ parcens, ut semper altiora meditantes, maiora cogitemus, atque in excelsiora rapiamur. Nimirum, ille charitatis ignis, à quo tantus feruor existit, non

diu comprimi potuit, quin aliquando erumpat. O quantus cupit! quantum si nos omnes conciperemus, tot essemus Brunones, aut Lauduini.

Ergo Brunonis Filii, *recordamini prioris seculi*, Videte nunc demum, post tot ætates, & secula eosdem Plantas ad illum eundem locum, unde primò digressi fuere, moderatoris nostri opera, & ductu reversos. Sextum agimus seculum. MAGNVM agimus annum, & vere magnum, in quo tam mirabilis astrorum ad eandem inter se comparationem est facta conversio. Redit idem postliminio syderum motus, redit idem aspectus, redit idem ordo, constantia, atque moderatio, redit denique formosior ad sua nemora Phœnix, ut quà tunc cœpere omnia, nunc iterum procedant, & progrediantur. Sed iam vires deficiunt Ad te ô essentialis bonitas! ad te, præterquem nemo bonus, iam sese mea convertit oratio. Ad te, qui hunc lectulum tuum sexaginta fortium corona cinxisti: ad te, qui ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, quo hic à te plantatus, & conclusus hortus ab omnibus procellis, imbribus, fulminibus, tempestatibus iam usque sexcentesimum hunc annum benigne defensus est, & protectus. Quidni *benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, ut multo magis posthac nostri pinguescant speciosa deserti, & exultatione colles accingantur? Quidni, ut legit Hyronymus, *volvetur annus in bonitate tua?* In illa scilicet, quam tuus, imo noster Bruno suspirabat ardenter, O BONITAS! ipsa nos inflammet, nos circunducat, nos coronet, non iam per sexcenta, sed per infinita sæculorum sæcula. Amen. Isai. 46. 9.

VIVAT CARTVSIA

ET NVMQVAM SATIS VIVAT

Sub Correctione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ

Imprimatur Avenione 26. Maij. 1684.
F. Hieronimus de Grasse. Vicarius General.
Sancti Officij Avenionensis.

0

Sermones Varios

se halla la relacion

34